Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25879
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Cr[ucis]

forte adplicuissent, Athanasium naucula ad quendam locum conpetit aptaverat, ab post tergum esse percussorem suum, et iam liquet non perspiceret imminere. Exterriti omnes qui simul aderant socii, heremum suadebant ad fuge presidium petendam. Tum ille: Nolite, inquit, o filii, deterreri; eamus magis in occursum percussori nostro, ut sciat quia longe maior est qui nos defendit quam qui persequitur. Et conversa naucula iter agens obvius ei qui se insectabatur adgressus est. Ille qui nullo genere suspicari posset in occursum sui venire quem quereret, tamquam preterientes aliquos interrogari iubet ubi audissent esse Athanasium. Cumque respondissent vidisse se eum non longe euntem, tota celeritate perinsiens preterit, in vanum festinans capere quem ante oculos positum videre non potuit. Ille vero deo iuvante montem Alexandriam redit, ibique tuto latebris usque quo persecutio cessaret exegit. Quadragesimo et sexto anno sacerdocii sui Athanasius post multos agones multasque patientie coronas Valentiniani et Valentis imperatoris tempore quievit in pace. Prestante domino nostro Iesu Christo, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus per omnia secula seculorum. Amen.

De Inventione sancte Crucis

ANNO ducentesimo tricesimo tertio regnante venerabili dei cultore magno viro Constantino, in anno sexto regni eius gens multa barbarorum congregata est super Danubium parati ad bellum contra Romaniam. Nunciatum est autem regi Constantino. Congregans quoque et ipse multitudinem exercitus profectus est in obviam eorum, et invenit eos vagantes in Romanie partibus, et erant secus Danubium. Videns autem quia multitudo erat innumerabilis, contristatus est valde et timuit usque ad mortem. Illa vero nocte venit vir splendidissimus et suscitavit eum dixitque ei: Constantine, noli timere, sed respice sursum in celum et vide. Et intendens in celum vidit signum crucis ex lumine claro constitutum, et super litteris titulum scriptum: In hoc vince. Videns autem signum hoc rex Constantinus fecit similitudinem crucis quam viderat in celo, et surgentes impetum fecerunt contra barbaros, et fecit ante cedere eos signum crucis. Et superveniens cum suo exercitu super barbaros cepit concidere eos proxima luce. Et timentes barbari dederunt se in fugam per ripam Danubii, et mortua est non minima multitudo. Et dedit deus in illa die victoriam regi Constantino per virtutem sancte crucis. Veniens autem rex Constantinus in suam civitatem convocavit omnes sacerdotes deorum vel idolorum, et querebat ab eis cuius vel quis deus esset, cuius hoc signum crucis esset. Et non poterant ei dicere. Et quidam ex eis respondentes dixerunt: Hoc signum

celestis dei est. Audientes autem pauci christiani qui erant eodem tempore venerunt ad regem Constantinum, et ewangelizaverunt ei mysterium trinitatis et adventum filii dei, quemadmodum natus est et crucifixus et tercia die resurrexit. Mittens autem rex ad Silvestrum episcopum urbis Rome fecit venire eum. Qui cathezizans eum fidem christianorum et omnia dei mysteria docens baptizavit eum in nomine Iesu Christi, et confirmatus est in fide Iesu. Et iussit edificare ubique ecclesias christianorum templaque deorum destrui. Et erat beatus Constantinus perfectus in fide et serviens spiritu sancto, et exercebatur in sanctis evangeliis. Cum didicisset autem a sanctis evangeliis ubi esset dominus crucifixus, misit matrem suam Helenam ut exquireret sanctum lignum crucis Christi, et in eodem loco ecclesiam edificaret. Gratia autem spiritus sancti requievit cum beatissima mater Constantini imperatoris Helena. Hec in omnibus scripturis sanctis se exercebat, magnamque in domino Iesu Christo possedit dilectionem. Postmodum autem a salvatore sancte crucis lignum exquisivit. Cum legisset autem intente de adventu humanitatis salvatoris nostri Iesu Christi, et crucis eius assumptionem et a mortuis resurrectionem, non est passa donec victorie Christi inveniret signum, ubi dominicum et sanctum confixum est corpus. Invenit autem illud hoc modo. Vicesima octava die sedit missus sanctam civitatem Ierusalem intravit una cum exercitu maximo, congregansque cuncta iudeorum gente, non solum eos qui in eadem erant civitate, sed et qui in circuitu erant in castellis et in possessionibus vel civitatibus iudaicis congregari precepit. Erat autem deserta in tempore illo. Unde congregati ut invenirentur omnes iudei tria milia virorum. Quos convocans beatissima Helena dixit: Cognovi de sanctis propheticis libris quia fuistis deo dilecti, sed quia repulistis sapientiam, et eum qui volebat de maledicto vos redimere maledixistis, et eum qui per sputum oculos vestros illuminavit inmundis sputis iniuriastis, et eum qui mortuos vestros vivificavit in mortem tradidistis, et sic socios simul lumen et tenebras, veritatem et mendacium existimastis esse, pervenit in vos maledictum quod in lege vestra scriptum est. Nunc autem eligite ex vobis viros qui vestram diligenter sciunt legem, ut respondeant mihi de quibus interrogavero eos. Et recedentes cum timore et multam questionem inter se facientes, invenerunt ex eis qui dicebant se scire legem viros numero mille, et ad beatissimam Helenam ducentes statuerunt eos, perhibentes testimonium eos legis scientiam multam habere. Sancta vero Helena ad ipsos ait: Audite verba mea et auribus percipite meos sermones. Non enim intelligitis in sermonibus prophetarum quemadmodum de adventu Christi prophetaverunt. Propter hoc ergo vos hodie interrogo, quia prior Moyses dixit quia hic puer vobis in secretis nasceretur, et mater eius virum non cognosceret. Et iterum laudem eius confitens David dixit de illo: Providebam dominum ante me semper, quia a dextris est mihi ne commo